

- 8, 1 Talis est Cages ubique. Relativorum etiam constructionem penitus ignorat. »An, inquit, causae, quae morbos committunt«, et in tertio problemate »ut qui etiam bene valent«, et in aliis quam plurimis similiter. Ignorat enim relativa, si certum ac finitum quiddam referant, indicativo, si aliquid incertius aut generalius, subiunctivo coniungi. 5 Demosthenes, qui orator fuit maximus. Aristoteles, qui naturae secreta primus docuit in lucemque produxit. Hi, qui virtutem amant. Ii, qui litteras oderunt. Cicero ad Herennium: »principium, quod graece prooemium appellatur, et insinuatio, quae epodos nominatur.« Item: »Consecutio est, cum quaeritur, quae signa nocentis et innocentis consequi 10
B 17^v soleant.« Et in ultimo de finibus: »Non hi soli numerantur, qui Academici vocantur, Speusippus, Xenocrates, Polemo.« Idem in eodem: »Polycratem Samium felicem appellant. Nihil acciderit ei, quod nollet.«
G 15^v »At multis malis affectus. Quis negat? Sed ea mala virtutis magnitudine obruebantur.« Et paulo post: »nonne clamant sapienti plus semper 15 adesse, quod velit, quam quod nolit?«
- 2 Haec igitur, quam diximus, relativorum regula est, quae tamen rerum vi superatur. Nam si quando rem certam sub ambiguo propter modestiam vel alias causas proferre volumus, subiunctivo uti oportet, sicut contra, si generalius incertiusque aliquid ad certiora retrahendum 20 sit, indicativo uti ratio cogit. Quare naturam rei prius nosse oportet, deinde quid qualeque velis efficere, postremo ipsorum quoque relativorum consimilem naturam non ignorare. Cicero huius dabit exemplum ex tertio de finibus. »Ut enim, qui demersi sunt in aqua, nihilo magis respirare possunt, si non longe absunt a summo, ut iamiam possint 25 emergere, quam si etiam tunc essent in profundo. Nec catulus ille, qui iam appropinquat, ut videat, plus cernit quam is, qui modo est natus.« Prioris hoc sit exemplum. Aeneas vir pius fuit, quippe qui etiam
B 18 ad inferos, ut patrem videret, descenderit. Nam quoniam ad fabulam refertur, subiunctivo dicere necesse tibi est, si rationem sequeris. Quod 30 autem propter fabularum instabilitatem id competat, inde patet. Nam si vim fabulae alio lenieris verbo, utendum indicativo est. Quippe qui etiam ad inferos, ut patrem videret, dicitur descendisse. Modestiae vero causa Lucius apud Ciceronem in ultimo de finibus: »Et ille cum erubisset: Noli, inquit, ex me quaerere, qui in Phalericum etiam descen- 35
G 16 derim. Quo in loco ad fluctum aiunt declamare solitum Demosthenem.« Verum ut, quae ambigua, generalia incertaque aut sunt aut talia nos

12 Polemo] Palemo G B | 13 Polycratem G Policratem B | acciderit G B acciderat *edit.* | 28 Aeneas G Eneas B | 35 Phalericum] Falericum G B

2 Theod. Probl. I 2. 415 a. | 3 Theod. Probl. I 3. 415 a. | 8 Cic. Ad Herenn. I 4, 6. | 9 Cic. Ad Herenn. II 5, 8. | 11 Cic. De fin. V 7. | 13 Cic. De fin. V 92. | 15 Cic. De fin. V 93. | 24 Cic. De fin. III 48. | 34 Cic. De fin. V 5.

videri volumus, subiunctivis semper verbis natura ipsa duce proferenda esse undique pateat, et contra, quae certiora sunt aut talia videri, opus sit indicativis, Terentianus Clinia ex Heauton timorumenon in medium producat. »Quia enim <incertum> est etiam, quid de se
5 faciat.« Et paulo post:

»miserum? quem minus crederem?
quia reliqui est, quin habeat, quae quidem esse in homine dicuntur bona?
parentes, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, divitias.«

Et Pamphilus apud eundem in Andria:

10 »Quod si ego rescissem id prius, quid facerem, si quis me roget,
aliquid facerem, hoc ut ne facerem. Sed nunc quid primum exsequor? B 18^v
Tot me impediunt curae, quae meum animum diversae trahunt:
amor, misericordia huius, nuptiarum sollicitudo,
tum pudor patris, qui me tam levi passus est animo usque adhuc,
15 quae meo cumque animo libitum est facere. Et ne ego adverser? hei mihi
incertum est, quid agam.«

Pudet me certe tantam Cagis imperitiam persequi potius, quam 9, 1
contemnere. Sed magnus quidem dignitate, quem honoris causa non
nomino, nescio cur non saturatus adhuc tot tantisque malis, quae
20 mihi auctore ipso praecipue innecta sunt, hunc etiam dicendi honorem,
si quem consecuti sumus, omni pacto nobis eripere conatur. Nam quam
primum Romam redii ac de iniuriis Cagis cum eo sum questus: Tacen-
dum est tibi, inquit, quoniam quantum egregii doctrina viri gregarios
atque indoctos superat, tantum ille te latine dicendo praestantior. Et G 16^v
25 nudiustertius cum ad defensionem meam aliquantulum traductiones
Cagis improbassem: Tace tu, inquit, quoniam quanto duo a viginti-
quattuor exceduntur, tanto interpretationes Theodori tuas excedunt.
Cumque ipse humiliter propter dignitatem eius, ut debeo, quomodo
id sciret, quaesierim: Quoniam, inquit, duobus annis ille convertit B 19
30 problemata, quae tu duobus mensibus pervertisti. Etsi ergo contem-
nendus Cages ut indoctus est, attamen non contemnendus, quia tantae
dignitatis auctoritate protegatur. Illud mirum est, quod idem aperta
utrumque fronte praedicat et illum improbum et nullius aestimationis
hominem esse et me, si ad eum conferas, penitus indoctissimum. Quare
35 hinc apertum facit non illius nec veritatis gratia, sed mei odio vehementius
perturbari. Nam nisi maxima perturbatione animi agitaretur, non
annos iam decem tot tantique incommoda mihi, quibuscumque modis

6 crederem G B orederes *edit.* | 11 exsequor] exequor G B exsquer *edit.* |
12 diversae G B divorsae *edit.* | 27 quattuor G quatuor B

4 Terent. Heaut. 188. | 6 Terent. Heaut. 192—194. | 10 Terent. Andria
258—264.

potuit, invexisset, quae omnia se facturum coram mihi ipsi saepius dixit. Memini, me Dius Fidius, excellentiam saepius suam mihi dicere, anteaquam Romam Cages venit, eum aliosque se ad Nicolaum pontificem, ut convertant, conducturum, ut qui putant aliquid interpretando valere, nihil se penitus scire cognoscant. 5

² Plura maioraque praetermitto, quorum auctoritas sua testis est. Haec tetigi, ut tandem aut finis huiusmodi adversus me animi G 17 potentis viri reperiatur, aut saltem, si quid commisi, quare per totam me vitam cruciari oporteat culpa cognita. Nonnihil certe mihi ipsi videbor solatii consecutus. Nam calamitates quidem inde maximae ortum B 19^v cepisse mihi semper patuit. Humanitas enim sua non verbis et rebus solum ostendit, sed etiam litteris suis ad me datis confirmavit. Non erat ergo contemnenda mihi Cagis imperitia, quin etiam maiorem in modum tanto timenda, quanto sub maiore latet patrono. Quamvis etiam illud ad scribendum hortatur, quod video communi utilitati, 15 cui semper servio, id opusculum nonnihil collaturum.

10, 1 Sed ut ad rem redeam, semper »utrum«, etiam »an« particula dubitandi vim habet. Quamvis in indicativo in quiddam certius res exit, in subiunctivo pendet semper et sensus et oratio. Utrum virtus, an vitium placet, non placet. Alterum enim horum placere certum est, 20 utrum currere, an sedere placeat. Non placet, quoniam est etiam aliud tertium. Hoc praeceptum inde quoque apertius fit, quia, si sciendi certitudo aut nesciendi ambiguitas accedit, alterum indicandi, alterum subiungendi verbo. Numquam aliter latine dicimus: scio, utrum vis. Scio autem, utrum velis, latine non dicitur. Contra: nescio, utrum velis, 25 dicitur. Nescio, utrum vis, non dicitur. Similiter non ignoro, an fecit. Et contra: ignoro, an fecerit, latine, ignoro autem, an fecit, et non ignoro, an fecerit, barbare dicuntur.

² Verum quoniam et exemplis et ratione, si »an« particula pro »e« B 20 G 17^v graeca problematum rationibus anteponitur, omnia everti demonstra- 30 tum est, quaeret forsitan aliquis, quaenam latina particula recte pro ea vel saltem sic, ut rebus non derogetur, scribi possit. Nam quam exponendi graeca in similibus locis solvendique vim habet, satis ex superioribus patet. Sed utrum latina »vel« particula, qua nos in eisdem utimur locis, vim istam habeat, quaerendum adhuc esse contendet. Imprimis 35 igitur neminem litteraturae deditum ignorare arbitramur multas »vel« particulam, qua de sermo nunc est, habere potestates. Sed inter alias exponendi quoque atque solvendi esse vocem nunc aperiamus. Manifestum est ergo, quoniam post interrogationem in respondendo praeponitur, nihil eam aliud quam solutionem sequi ostendere. Cur cena 40

20 vitium G vicium B | 23 indicandi G indicanti B | 34 latina scripsi latine GB | 36 multas B multam corr. G | 37 potestates G potestatem B

supersedisti? Vel, quia crudior adhuc eram. Cur quotidie novos auctores legis? Vel, ut plura discam. Cur haec scribis? Vel, ut invidos deprimam meos; vel, ut multis prosim; vel, ut philosophiam ipsam, quam ignorantibus extinguere conantur, defendam. Quare Cicero pro Milone causam dixit? Vel, quia erat amicus Milo; vel, quia occidit inimicum. Nullam enim in his aliam habere virtutem potest, nec copulandi nec distinguendi nec quamcumque aliam excogitaveris. Solvendi ergo.

Sed exemplo etiam Ciceronis hoc ipsum confirmetur. In epistola enim ad Lentulum: »Mirum me, inquit, desiderium tenet urbis, in- B 20^v
10 credibile meorum atque imprimis <tui>, satietas autem provinciae, vel quia videmur eam famam consecuti, ut non tam accessio quaerenda G 18 sit, quam fortuna metuenda, vel quia totum negotium non est dignum viribus nostris, qui maiora onera in republica sustinere et possim et soleam, vel quia belli magni timor impendet, quod videmur effugere, 15 si ad constitutum diem decedemus.« Hic Cicero cum desiderium urbis atque suorum mirum in modum brevi oratione, ut epistola licebat, amplificaverit, satietatemque provinciae ad illud usque sibi tempus commissae ostenderit, tres reddit rationes, cur tanta ipsum satietas tenebat, quareque tam miro urbis atque suorum desiderio afficiebatur. 20 Disiunctive dicet quispiam: non ignoro, quoniam nec, quantum singuli horum sciant, ignoro. Sed fieri non potest. Nam quae disiunctive capiuntur, praeter unum cetera omnia falsa sunt. Has vero rationes pro veris omnes Cicero scribit. Nec copulantur, vel quoniam non redeunt in unam, sed distinctae inter tres propositiones sunt, vel quoniam Graeci, 25 unde latina eloquentia derivata est, »e« particulam, quae in similibus locis ponitur, numquam copulative accipiunt. B 21

Verum, ut Cages, quomodo haec examinanda sunt, videat ceteri-⁴ que non ignorent, illud addo aut ignorantem simul ac stultum fuisse Ciceronem, aut nullam hic fieri ab eo rationum disiunctionem, primum 30 dictu insanum esse, verum igitur alterum. Plurimum tibi confidis, dicet forsitan aliquis, qui demonstrationis argumentatione uteris ea in G 18^v re, quae longe a demonstrandi abest facultate. Scio, quid dico. Longe aliud meum iudicium est quam Cagis et patronorum suorum. Quid ceterorum omnes enim disiungi locum hunc Ciceronis conclamant? Qui sic 35 conclamant, omnes stulti atque ignorantes sunt. Quamobrem, quando- cumque facti sui aliquis rationem reddit, nullum habet locum disiunctio. Intellexistine? An nondum quidem? Subintelligo. Sed dic explanatius. Disiunctionem, inquam, natura repugnante nequeunt rationes illae

6 his G hiis B | 10 satietas] sacietas G B | autem *sec. edit.* ante G B | provinciae B provinciam G | 17 sacietatemque G B | 18 sacietas G B | 20 singuli B singulo G

9 Cic. Ep. ad famil. II 11, 1.

suscipere, quas ad comprobendam rem a se ipso factam aliquis adducit. Ideo si quis interrogaret, cur officio suo functus non sit, responderetque, vel quia valitudo adversa, vel quia maiores reipublicae curae impedimento fuerunt, nisi »vel« particulae solvendi vim attribueris, stulta penitus, immo nulla responsio erit, primum, quia in unum multas divi- 5
 B 21^v sim dictas rationes copulando reducere absurdum est, et quando unica ratio vel particula praeposita dicitur. Quod saepe invenitur, quia poterit ad copulativam reduci. Id pro veritate dico. Nam si quis contra contendat, sciat se nihil adversus me afferre, qui »vel« particulam post interrogationes posuerim. Cui copulandi ius apte profecto accommodari 10
 G 19 non potest, disiungendi autem nequaquam, et id est, quo dementia multorum detegitur. Videtur enim, qui sic dicit, nescire ipse, cur quicquam faciat aut cur quoquam afficiatur, quod ab homine non expertae mentis longe alienum invenitur.

5 Miro et incredibili urbis atque suorum desiderio provinciaeque 15 satietate teneri se Cicero scribit. Addit rationes, quare. Et erit aliquis adeo mentis expertus, ut quod ne puer quidem diceret, id a Cicerone, inquam, id nedum cogitatum, sed scriptum etiam perpetuae traditum memoriae contendat? Ego quidem, quantum hac in re natura possit, duplici periculo didici. Rogatus enim ab indocto penitus homine, quo 20 irem: Aut in apostolicum, inquam, tabularium — sic enim nunc cancellariam nomino — aut in forum piscatorium, magno ille cachino ex contemptu primum, deinde manibus ex admiratione collisis: Quid tu? exclamavit! Nescis, quo te pedes ferant? Sedulo etiam minori filiulae meae, quae adhuc annos infantiae vix exivit — sextus enim annus 25
 B 22 hic sibi est —, ad cenam me vocanti, nolle cenare respondi. Curque ita? interrogatus: Quia, inquam, aut non famesco aut caput doleo. Cumque id saepius fecissem: Ergo tu ipse, ridens puella subiecit, ignoras, cur cenare nolis? Miserum Ciceronem, qui, quae natura duce puellae sciunt, ea ipse ignoravit! Nescio profecto, quid de contra contendentibus 30 dicendum cogitandumve sit, qui cum se in <in>audito miroque ingenii flumine ac scientiarum cumulo quasi deos circumspici putant, vel puellis hebetiores inveniuntur.

6 Verum ut in summam redigamus, tres esse praecipue potestates
 G 19^v »vel« particulae tenendum est: disiunctivam, quae communissima est, 35 copulativam, expositivam sive rationalem, quam tunc maxime solutivam nuncupare licet, quando interrogationi redditur. Harum altera facile comprehenditur, si nullam rationis vim praecedentibus accommodat, sed solummodo cumulum facit. Altera statim se ostendit seque ipsam declaravit, cum rationem, qua quae ambigua sunt, certiora 40 redduntur, in medium citet. Prioris hoc Terentianum exemplo sit:

1 comprobendam G comprobandum B | 7 quia] qui G qui B | 26 cenam, cenare B caenam, caenare G | 33 hebetiores G ebetiores B

»Nam ista quidem contumelia est,
hominem amicum recipere ad te atque eius amicam subagitare«,
vel: »heri in vino quam immodestus fuisti.«

Nulla enim ratione quasi ambiguum sive infirmum, quod ante-
5 cessit, confirmatur. Sed ad contumeliam immodestum etiam in vino B 22^v
fuisse ostendit, et sic multitudine Pamphilus criminum acrius castiga-
tur. Posterioris ex eadem Heauton timorumenon Clitipho nobis ex-
emplum proferat:

10 »Nulla est tam facilis res, quin difficilis siet,
quam tu invitus facias. Vel me haec deambulatio,
quamquam non laboriosa, ad laborem dedit.«

Nihil aliud accedit, sed praecedens, quoniam ambiguum esse poterat,
exemplo sui ipsius ut ratione apposita corroboratur. Quod expressius
erit, si pro vel »nam« particulam posueris. Quid plura, si vel in »aut«
15 commutabis. Iam senties, quam absurda propter disiunctionem, quam
horrida ipsarum etiam iudicio aurium omnia videantur. »Mirum me G 20
desiderium tenet urbis, incredibile meorum atque imprimis <tui>,
satieta autem provinciae.« Cur, aliquis obiiciet? »Aut quia videmur,
inquit, magnam famam consecuti«, »aut quia totum negotium non est
20 dignum viribus nostris, aut quia belli magni timor impendet.« Nemo
est profecto, qui si, cum legit, accommodationem verborum ad res
ipsas considerat, huius orationis inconstantiam et levitatem non videat.

Est et quarta huius particulae potestas, qua et poëtae nonnumquam 7
et historici, quamvis rarius, utuntur. Vel enim pro saltem quidam
25 scripsisse inveniuntur. Phylotas pro se causam dicens hac ratione utitur B 23
apud Quintum Curtium, virum in dicendo longe praestantem, nisi
fragmentati mendosique libri multum sibi derogarent. »Cur rem delatam
ad te tacuisti? Quid tam securus audisti? Hoc, qualecumque est, con-
fesso mihi, ubicumque es, remisisti. Dexteram tuam amplexus, recon-
30 ciliati pignus animi dedisti. Convivio quoque interfui. Si credidisti
mihi, absolutus sum, si pepercisti dimissus. Vel iudicium tuum conserva.«
Longiores sumus, quia res ita flagitat, cum et docere et malevolis atque
invidis respondere et interpretationes nostras, ne potentia nonnullorum
iniuriaque oprimentur, defendere ipsaque Aristotelis problemata prote-
35 gere cogamur.

18 autem sec. edit. ante G B | 19 negotium G negocium B | 29 amplexus sec.
edit. amplexo B | 30 pignus animi B] G *trp.* animi pignus | dedisti G B] edit. om. |
credidisti B credisti G | 32 malevolis] malivolis G B

1 Terent. Heaut. 565 sq. | 3 Terent. Heaut. 519. | 9 Terent. Heaut. 805—807. |
16 Cic. Ep. ad famil. II 11, 1. | 18 Cic. Ep. ad famil. II 11, 1. | 27 Curt. Hist.
Alex. VI 10, 11 sq.

11, 1 Nunc, quomodo per ignorantiam intelligendi Aristotelis viam statim incipiens clausit, attentius oro considerate, qui legitis. Vel, quia excessum
 G 20^v defectumve faciunt, quod aegrotatio erat, scriptum reliquit Aristoteles, et his paene verbis vetus interpretator traduxit. Quibus genus aegrotationis expressisse se, ut statim in sequenti problemate totam absolvat 5 definitionem, philosophus aperte significavit. Solet enim, quod omnes sciunt, qui vel parum ei familiares, ut sic dixerim, sunt, hoc dicendi modo uti, quando definitionem rimatur. Ideo etiam hic, quod aegrotatio
 B 23^v erat, inquit. Primum ergo admonuit, quod a genere solutio data est; deinde, quod genus morbi excessus aut defectus est. Nam cum sanitas 10 mediocritas sit, recte alterutrum extremorum morbi genus esse dicitur. Genere igitur expresso ceteras quoque definitionis partes statim in secundo problemate scrutatur. Quattuor enim ordine ponit: excessum qualitatum sub appellatione vini et aquae, excessum saporum cuiusque humoris sub appellatione falsi, excessum repletionis aut inanitionis sub 15 appellatione cibi et famis. Ut talem hinc aegrotationis definitionem colligemus, aegrotatio est excessus aut defectus primarum qualitatum aut saporis cuiusque humoris in corpore aut repletionis aut exinanitionis. Sed haec marginalibus scholiis dicta nobis latius sunt.

2 Cages autem illam Aristotelis clausulam, quae aegrotatio erat, quae 20 nos admonet, quod definitio morbi primis duobus problematibus edita est, sic interpretatus est: »Qua quidem re morbum consistere certum
 G 21 est.« His verbis nemo sane ad investigandam hic morbi definitionem monetur. Ita enim omnia confundit, ut Aristoteles hebetis fuisse ingenii videatur. Sua certe potius quam Aristotelis tradit, idque praedicare prae 25 magnitudine impudentiae non veretur. Sic enim in calce praefationis
 B 24 praescribit: »Verum, quoniam rationes illas Aristotelis compressas, argutas parum moderari excolique patientes nos conspectius, ut arbitror, ad latinas aures explicavimus.« Et paulo post: »Et nisi pleraque interpres emendet, in vanum mea sententia laboraverit.« Tu, tu Cages audes 30 compressas argutasque Aristotelis rationes excolere atque interpretando explicare, id est dilucidius atque latius exponere. O amentem furiosumque hominem! Non te solum, sed multo magis, qui te animo poterint aequo perlegere! O inflatos sua opinione homines, qui Aristotelis philosophiam parte posse perdere opinati sunt! Fidus interpres, quae Ari- 35 stoteles dilucide scripsit, ea dilucide, quae ambigue aut obscure, ea similiter traducit. Sic enim pro ingenio quisque suo singula examinabit. Si vero nonnulla obscura liquide tibi patere putas aut ambigua tibi

3 defectumve] defectumine G defectum ne B | 6; 8; 12; 16; 21; 23 definitionem et similia] diffinitionem G B | 13 quattuor G quatuor B | 14 vini] vim G B | 24 Aristoteles] Aristotelis B | 32 dilucidius] dillucidius G B | 36 dilucide] dillucide G B

13 cf. Arist. Probl. α' 2. 859a, 6. ὑπερβολαῖς γὰρ ἰώνται οἴνου ἢ ὕδατος ἢ ἀλμυρῆς ἢ σίτου ἢ λιμοῦ. | 22 Theod. Probl. I 1. 415a. | 27 Theod. Probl. Praef.

certiora esse ducis, in marginibus, sicuti nos facere consuevimus, quae sentis, scribe nec tua cum alienis commisce. Ita enim et Aristoteles integer erit, et sententia tua non erit ignota. Nunc quid facis? Derogas Aristoteli. Multa de suis quasi maledicta tollis. Multa addis. Multa G 21^v 5 commutas. Et quae non intelligis, quasi mendosa sint, emendas. Quae non pauca sunt. Sic enim ais: »Et nisi pleraque interpres emendet, in vanum mea sententia laboraverit.« Pleraque tu mendosa emendasti? B 24^v Minime. Sed multis emendatis mendam commisisti.

Quod ita esse si videre gliscitis, quartum statim, quartum inquam, 12, 1 10 problema, quaeso, legite omnes, qui veritatis et philosophiae studiosi estis atque amici. Legite priscam traductionem, quae ut verbis barbara, ita sensu integerrima est. Quartum sic nos interpretati sumus: »Quare immutationibus temporum uti oportet vomitu? Vel, ne conturbatio fiat. Superfluitates enim propter mutationes diversae gignuntur.« Hunc 15 sensum sincerissime, quamvis alienioribus verbis, id est minus latinis, vetus quoque interpretatio reddit. Sic Aristoteles scripsit. Sic ratio postulat. Variarum namque, ait, in stomacho diversarumque immutationibus temporum superfluitates redundant. Unde sequitur vomitu esse utendum. Sed Cagem quoque audiamus. »Cur, inquit, vomitus, cum tem- 20 pora immutantur, citari minime debeant? <An> ne conturbatio redundet, cum varia excrementa materiae inutilis ex mutandi ratione proveniant. Unde fit, ut cibum etiam alii parum concoquant, alii parum cupiant.«

Videtis, videtis, quam aperte facit, quod se facturum et quidem 2 in plerisque praefatus est. Videtis, quam aperte Aristoteli contradicit. 25 Philosophus, quia variae propter mutationem temporum in stomacho superfluitates redundant, vomitu utendum censet. Cages negat. Utrum B 25 hoc est emendare, o optime omnium tu, patronis solummodo tuis ex- G 22 ceptis, an mendosum falsumque omnino et legentibus, credentibus facientibusque perniciosum efficere? Sed cur tot tantaque brevissimo 30 addidisti problemati? Nam etsi similiter in aliis quoque multis factitatum hoc tibi est, a prolixitate tamen problematum additiones tuas posse tegi forte putasti. Hic vero quomodo non fuisti veritus, ne brevitatis problematis multa esse abs te addita patefaceret? Vel videlicet, quia id te in plerisque facturum praefando statim iactasti. Videte, videte 35 omnes veritatis amici, quid inflati superbia homines, quid elata supercilia, quid erectae cervices, quid tumentia colla, quid circumspicientes oculi, quid denique faciunt, qui se deos esse credunt, quique ferre nequeunt, quod a ceteris quasi dii non coluntur, si multa addere, multa

2 tua] tuam G B | 13 vomitu G vomiti B | 20 <An> sec. edit.

6 Theod. Probl. Praef. | 12 Georg. Trap. Probl. cf. Arist. Probl. α' 4. 359a, 25—27. Διὰ τί ἐν ταῖς μεταβολαῖς τῶν ὥρων ἐμέτοις οὐ δεῖ χρῆσθαι; ἢ ἵνα μὴ γένηται συντάραξις διαφόρων γινομένων τῶν περιττωμάτων διὰ τὰς μεταβολάς. | 19 Theod. Probl. I 4. 415 a b.

subtrahere, multa mutare in his libris impudenter audent, qui iam quantum ad rem integre fideliterque traducti fuerunt. Unde levitas, perfidia, ignorantia sua prostitui potest. Quid putatis eos aut fecisse aut facturos in libris, qui nondum apud Latinos habentur? Cur autem ambigue cuncta quasi dubia protulisti? An quia dubia sint, quae sensu 5
B 25^v patent? An quia certioribus rebus dubitabiles soleat Aristoteles rationes afferre? Turbationem vero quo pacto redundare putas? Haec est ex-cultio, qua latinum, tu Cages, sermonem decorasti?

13, 1 Sed iam brevius nonnulla perstringamus. Non ordine, — nec enim integrum Cagis volumen habere potuimus — sed carptim hinc inde 10
G 22^v nonnullos quinterniones extorsimus, qui diutius apud nos morari nequeunt. Nam sicuti vespertiliones, bubones ceteraque huiusmodi monstra lucem oderunt, noctem amant, sic interpretationes Theodori nos quasi lucem fugientes in tenebris se condiderunt.

2 Quartum decimum primae particulae problema est, quamobrem 15
aquarum magis quam ciborum mutatio morbos inducit. Cages, quasi studio vellet Aristotelis philosophiam depravare, quod si umquam cogitavit patronorum consilio suorum hebeti subiectum homini dicere, contrarium edidit. »Cur, inquit, ciborum mutatio magis quam aquae gravis occurratur?« Nec ratione saltem admonitus est magis aquarum quam 20
ciborum mutationem efficere. Acturum enim subiicitur, quia plurimum aqua utimur.

14. Sed Cagem nunc primum in sexto decimo eiusdem particulae audiatis. »Cur, inquit, mutationes aquarum faciant, ut qui nullos pedi-
B 26 culos habent, multos iam habere incipiant?« O incautum hominem atque 25
omnino amentem! Quomodo, si nullos habent, plures producant? An cum propria complexione aliqui hominum vel aliqua potius animalia? Universaliter enim nos hoc problema dici putamus: An, a procreandis pedunculis aliena sint, sola mutatione aquarum potuerint producere? Minime, minime, inquam. Audite Aristotelem et integerrimam sensu 30
traductionem primam legite, et rerum collatione partim Cagis ingenium,
G 23 partim patronorum suorum consilium cognoscetis. »Quare, inquit, muta-
tiones aquarum pediculos in habentibus multiplicant?« Quia prudenter summi vir ingenii Aristoteles rem protulit, »in habentibus« inquit. Nam si nihil earum habent, vix poterit tantum efficere aquarum muta- 35
tio, ut huiusmodi vermes in eis multiplicentur. Sin aliquos habent,

18 hebeti G ebeti B | 19 magis G B minus *edit.* | 20 occurratur G B occurrat *edit.* | 28 hoc problema G problema hoc B | An a] An G *om.* a B *om.* | 29 potuerint *scripsi* potuerit G B

15 Arist. Probl. α' 14. 860 b, 34 sq. Διὰ τί μᾶλλον ἢ τοῦ ὕδατος ἢ ἢ τῶν σιτίων μεταβολῇ νοσώδης; | 19 Theod. Probl. I 14. 416 a. | 24 cf. Theod. Probl. I 16. 416 b. (*admodum inaccurate cit.*) | 32 Arist. Probl. α' 16. 861 a, 10 sq. Διὰ τί ἢ τῶν ὑδάτων μεταβολῇ τοῖς ἔχουσι φθειρας ποιεῖ πολλοὺς ἔχειν;

quoniam hinc aptitudo complexionis suae natos ad hoc esse ostendit, mutationis aquarum multiplicabit accessio.

In primo autem secundae particulae, quae de sudoribus inscribitur, 15, 1 problemate, quod Aristoteles unico verbo expressit, id novus iste Aristoteles, immo autem phreneticus — videte, quam vehementer insanit — in longe alium mirabili figmento sensum rapuit. »Sicut aqua clepsydrae, inquit, quando plenam aliquis altera ex parte obstruxit.« Sic philosophus. Cages autem: »Quo pacto, ut in aqua fit vasis, inquit, quod in mare B 26^v demissum dulcem intra se colligit humorem, clepsydraque ob id nominatum est? Nequit enim effluere, cum quis pleno iam vase partem alteram obturavit.« Tacebo etiam hic? Non etiam hic exclamabo? Non admirabor tum tarditatem et temeritatem Cagis, tum obtusa laudatorum suorum ingenia? O iniquitatem inauditam! O perfidiam singularem! Oppugnatur philosophus, perit scientia, obruitur, quantum in 15 istis est, veritas, et ego non dedignabor? Praesertim cum hoc istae pecudes bellum veritati ad opprimendum me indixerint! Sed quid dedignatio proderit? Veritati potius pro virili assistamus parte, nec G 23^v parricidis, quantum fieri potest, cedamus. Admoneamus hoc opusculo esse nonnullos, qui gladium in parentem philosophiam strinxerunt, et 20 ita studiosos eius omnes in defensionem instruxerimus.

Clepsydra dicitur vas duorum foraminum, quorum alterum minus 2 et in fundo est, alterum maiusculum et ex opposito in extremis fistulae longioris. Ex hoc vase pleno, quamvis aperto patentique fundi foramine, aqua tamen non defluit, si quis os, quod foramen maiusculum esse 25 diximus, obstruxit. Retinetur vero aqua, quia subintrare ad implendum locum, unde ipsa exiret, spiritus nequit. Simile quid in solutione huius problematis fieri Aristoteles ait. Cages vero, nescio cur somnia fingit, B 27 vas esse ait clepsydram, quo ex mari dulcis humor seligitur. Sit sane. Nec enim prohibendus est quisquam sententiam suam, etiamsi vana 30 penitus atque inania fundit, in medium afferre. Sed Aristoteli sensum suum attribuere traducendoque omnia, quae somnias, quasi Aristotelea sint, interpretationibus immiscere, id vero perfidia est incredibilis nec ullo pacto tolleranda. Id veritatis eversio, id inusitata calumnia est, id philosophiae pernicies, qua patroni Cagis sicut plagiosippi nimium 35 exultant.

Sed Cagem latinae parentem linguae, quam latine scribat, non in 16, 1 singulis tantum verbis, quae hinc illuc transferri possunt, in quibus G 24 sic errat, ut nihil proprie reddat, verum etiam in compositione a principio ipso vigesimi secundae particulae problematis considerare <oportet>.

5 phreneticus] freneticus G B | 18 parricidis] paricidis G B

6 Arist. Probl. B 1. 866 b, 11 sq. . . . ὡς περ τὸ ὕδωρ τὸ ἐκ τῶν κλεψυδρῶν, ὅταν πλήρεις οὖσας ἐπιλάβῃ τις. | 8 Theod. Probl. II 1. 419 a (*inaccurate cit.*).

»Quare, inquit, qui laborant, sudare, ubi cessavere, incipiunt?« Non dico, quia »ubi« particula non rhetorum neque philosophorum est, sed poëtarum. In hac significatione atque historicorum minuta enim haec persequi non est nostrum, quippe qui maiora etiam negligamus praeter pauca, quae sufficiant, ut amentia patronorum Cages et furor 5 percipi queat. Non igitur minuta haec, quae in singulis verbis per-
 B 27^v spiciuntur, sed compositionem universam et sensum eius considero. Quae quidem compositio non examinatis grammaticorum regulis, sed ex ingenio, mente rationeque, qua homines sumus, profluit. »Quare, inquit, qui laborant, ubi cessavere.« Laborare praesentis est temporis, 10 o Cages. Cessavere praeteriti et quidem perfecti omnino actus. Quomodo igitur, qui laborant, cessavere? Non est ista latini sermonis compositio. Nam in hoc sensu, quem philosophus vult exprimere, labor tempore praecedit, cessatio sequitur. Tu Cages cessationem in praeterito et quidem actus iam perfecti laborem in praesenti tempore posuisti, atque 15 ita nec latine loqueris et omnia pervertis. Nostra quoque audi et animo, quantum maxime potes, verte quam breviter, quam commode, quam latine, quam aperte res ante oculos ponitur: »Quamobrem, qui a labore
 G 24^v cessaverunt, sudantur?« Credo iure nos videri posse vel ex hoc uno sumpsisse laborem. Nemo enim est, qui non videat, quam commodius 20 a nobis quam a priscis traductoribus dictum sit. Quibus tamen non negamus Latinos multum debere. Nam etsi latinitate ab eis doctores facti non sunt, rebus tamen doctissimi effecti sunt. Sed de veteribus interpretibus loco suo plura. Cages vero et patroni eius ex aliorum vituperatione laudem quaerentes non intelligunt in peiora se per amen- 25 tiam decidisse. Illi solum in latinitate verborumque potestate, isti
 B 28 etiam et multo magis in rebus ipsis aberrant.

2 Sed videte imperitiam. Non dixit: quare laborantes, posteaquam cessaverunt. Participialis enim vox cum apud Graecos tum maxime apud Latinos, quoniam in activa voce nullum praeteriti temporis parti- 30 cipium habent, praeteritum quoque actum complectitur. Verum ut, quanta prudentia quantaque sint eruditione, qui eum admirantur, ostenderet, »qui laborant« praesenti solum accommodans tempori dixit. Deinde quasi poëta quidam aut historicus, »ubi cessavere«, adiecit. Certe natura praeteritum praesenti anteposuit. Isti naturae quoque 35 ipsius domini, o quam vere! Deos enim se, non homines esse putant. Praeteritum re ipsa praesenti contra naturam rerum antepone conantur. Nec solem ipsum verentur, cui feruntur quotidie, quasi deus sit
 G 25 et anima mundi, ut aiunt, preces fundere, quas eloquentissime Gemistus quidam, omnium hominum impiissimus composuit, qui librum etiam 40

21 traductoribus] B *add. in marg.* longe quam Cages doctoribus

1 Theod. Probl. II 20. 420a (*inaccurate cit.*).

adversus Christum Dominum nostrum reliquisse fertur. Cuius auditores — nemo est Graecus, qui Christianus esse arbitretur — profecto si cursum solis, quem ut creatorem suum colunt, respicerent, nullo possent credere modo praesentia praeteritis posse anteponi.

5 Principium quoque vigesimi sexti secundae particulae problematis, 17, 1 quaeso, aspiciat. »Cur, inquit Cages, conturbati pedibus sudamus, non B 28^v facie?« Conturbatio sane generalius quiddam est quam agonia graece. Haec enim una conturbationis species ultima est et trepidatio latine dicitur, quod et nomen graecum ostendit. Agone namque, id est certa-
10 mine futuro, animus certaturi non parum commovetur. Et Aristoteles particula undecima, quae de pertinentibus ad vocem est, apertius ostendit dicens in LXII. problemate artifices, oratores videlicet artificio utentes, propter trepidationem allocutionis voce, hoc est submissa, in principio dicere solere, donec agonia et trepidatio lenita fuerit. Est
15 enim trepidatio fidentis animi propter difficultatem instantis certaminis timor quidem et perturbatio. O doctum hominem, deus bone! O doctum hominem vereque dignum, qui ab hominibus magnae dignitatis praeferatur, laudetur, colatur! »Cur conturbati pedibus, inquit, sudamus?« Hoc simile est, si quis quaereret: cur animalia visibilia sunt? G 25^v
20 Cur substantia sensum habet? Cur qualitas figurata est? Sudant, o vir prudentissime tu, pedes qui timent? Sudant, qui irascuntur? Sudant, qui pudore afficiuntur? Sudant, qui maerore anguntur? Sudant, qui prae laetitia gestiunt? Nequaquam. At hi omnes morbi animorum conturbationesque sunt.

25 Quid facis, o Cages? Cur generi accidere dicis, quod speciei accidit² uni? Cur hoc tanto ignorantiae dedecus laudatoribus inuris tuis? Non sunt B 29^v bene de te meriti, falsa de te praedicantes? Non videntur plurimi te facere, si quibus tu invides, eos illi omni studio persequuntur? Certe. Sed quia ignorantiores te sunt, ideo, quicquid edideris, admirantur,
30 colunt, in caelos efferunt, ceterisque, nisi sua susceptis tuis clement, mortem minitantur. Sed nos non cremabimus nostra, etiamsi occumbere necesse fuerit, immo curabimus, qualiacumque sint, posteritati omnia mandare. Nec, inquam, mortem, sed iustitiam horrescimus. Primam potentes inferre possunt; in alteram ne incidamus, in nobis est. Sedulo
35 igitur faciemus, ut non ceteri solum, verum etiam, qui nos inique persequuntur, quique a nobis multa didicerunt, plura in dies etiam perdiscant. Quodsi pergant ingrati esse, adeo ut arietinas, sicut insueverunt, gratias referant, suum id crimen, non nostrum erit.

28 persequuntur G persecuntur B | 30 susceptis tuis G tuis susceptis B | 33 iustitiam G iustam B | 36 persequuntur G persecuntur B

6 cf. Theod. Probl. II 31. 420 b (*falso cit.*). | 12 cf. Arist. Probl. 1^a 62. 906 a.